

CŪR DEUS VĒRĒ SIT

II. *Quod vērē
sit Deus*

¹Ergō Domine, quī dās fideī intellēctum, dā mihi, ut, quantum scīs expedīre, intelligam, quia es sicut crēdimus, et hoc es quod crēdimus. ²Et quidem crēdimus tē esse aliquid quō nihil mājus cōgitārī possit. ³An ergō nōn est aliqua tālis nātūra, quia *dixit insipiēns in corde suō : « nōn est Deus »*^a? ⁴Sed certē ipse īdem īnsipiēns, cum audit hoc ipsum quod dīcō : « aliquid quō mājus nihil cōgitārī potest », intelligit quod audit ; et quod intelligit, in intellēctū ējus est, etiam sī nōn intelligat illud esse. ⁵Aliud enim est rem esse in intellēctū, alium intelligere rem esse.

¹Nam cum pictor praecōgitat quae factūrus est, habet quidem in intellēctū, sed nōndum intelligit esse quod nōndum fēcit. ²Cum vērō jam pīnxit, et habet in intellēctū et intelligit esse quod jam fēcit. ³Convincitur ergō etiam īnsipiēns esse — vel in intellēctū — aliquid quō nihil mājus cōgitārī potest, quia hoc, cum audit, intelligit, et quidquid intelligitur, in intellēctū est.

¹Et certē id quō mājus cōgitārī nequit, nōn potest esse in sōlō intellēctū. ²Sī enim vel in sōlō intellēctū est, potest cōgitārī esse et in rē ; quod mājus est. ³Sī ergō id, quō mājus cōgitārī nōn potest, est in sōlō intellēctū : id ipsum quō mājus cōgitārī nōn potest, est quō mājus cōgitārī potest. ⁴Sed certē hoc esse nōn potest. ⁵Existit ergō procul dubiō aliquid quō mājus cōgitārī nōn valet, et in intellēctū et in rē.

III. *Quod nōn
possit cōgitārī
nōn esse*

¹Quod utique sic vērē est, ut nec cōgitārī possit nōn esse. Nam potest cōgitārī esse aliquid, quod nōn possit cōgitārī nōn esse ; quod mājus est quam quod nōn esse cōgitārī potest. ²Quārē sī id quō mājus nequit cōgitārī, potest cōgitārī nōn esse : id ipsum quō mājus cōgitārī nequit, nōn est id quō mājus cōgitārī nequit ; quod convenīre nōn potest. ³Sic ergō vērē est aliquid quō mājus cōgitārī

a. Ps. 13,1 ; 52,1

nōn potest, ut nec cōgitārī possit nōn esse.

¹Et hoc es tū, Domine Deus noster. ²Sīc ergō vērē es, Domine, Deus meus, ut nec cōgitārī possīs nōn esse — et meritō. ³Sī enim aliqua mēns posset cōgitāre aliquid melius tē, ascenderet creatūra super creatōrem et iūdicāret dē creatōre; quod valdē est absurdum. ⁴Et quidem quidquid est aliud praeter tē solum, potest cōgitārī nōn esse. ⁵Sōlūs igitur vērissimē omnium et ideō maximē omnium habēs esse, quia quidquid aliud est, nōn sīc vērē, et idcirco minus habet esse. ⁵Cūr itaque dīxit īnsipiēns in corde suō : « nōn est Deus », cum tam in prōmptū sit ratiōnālī mentī tē maximē omnium esse ? ⁶Cūr, nisi quia stultus et īnsipiēns ?

*IV. Quōmodo
īnsipiēns dīxit
in corde, quod
cōgitārī nōn
potest*

¹Vērūm quōmodo dīxit in corde quod cōgitāre nōn potuit; aut quōmodo cōgitāre nōn potuit quod dīxit in corde, cum idem sit dīcere in corde et cōgitāre ? ²Quod sī vērē, immo quia vērē et cōgitāvit, quia dīxit in corde, et nōn dīxit in corde, quia cōgitāre nōn potuit : nōn ūnō tantum modō dīcitur aliquid in corde et cōgitātur. ³Aliter enim cōgitātur rē, cum vōx eam sīgnificāns cōgitātur, aliter cum id ipsum quod rēs est intelligitur. ⁴Illō itaque modō potest cōgitārī Deus nōn esse, istō vērō minimē. ⁵Nūllus quippe intelligēns id quod Deus est, potest cōgitāre quia Deus nōn est, licet haec verba dīcat in corde, aut sine ūllā aut cum aliquā extrāneā sīgnificātiōne. ⁶Deus enim est id quō mājus cōgitārī nōn potest. ⁷Quō quī bene intelligit, utique intelligit id ipsum sīc esse, ut nec cōgitātiōne queat nōn esse. ⁸Quī ergō intelligit sīc esse Deum, nequit eum nōn esse cōgitāre.

Grātiās tibi, bone Domine, grātiās tibi, quia quod prius crēdidī tē dōnante, jam sīc intelligō tē illūminante, ut, sī tē esse nōlim crēdere, nōn possim nōn intelligere.

EX ĀNSELMĪ (1033-1109) *PROSLOGIONE*, CAPITA II-IV